



1. Breithaupt / Joach. Justi / Schedias-  
ma de adoptionis Spiritu, Hald  
1730.
2. Chryander / Wilh. Christ. Justi /  
Diss. de fundamento Exaltationis  
Christi hominis majestaticae pand  
mercenario, Rintely 1762.
3. \_\_\_\_\_ programma, de Abstractio-  
ne Christiana, Rintely 1761.
4. \_\_\_\_\_ Diss. de Conubio Josephi ac  
marie vero, Helmstadt 1743.
5. \_\_\_\_\_ Diss. de Representativne Actio-  
nis, Helmstadt 1746.

6. Fecht (Joh.) Aphorismi Theologici  
de ordine modorum gratie divinae  
in Conversione Hominis, Rostochi,  
1703.
7. Glaurhi (Andr.) Schediasma de  
de usu Concordantiarum Bibliarum  
Lipsiæ, 1668.
8. Hare (Chr. Godofr.) Sponsus Sangui-  
num ad Exod. IV. et manus super  
Throno Dei ad Exod. XVIII. Halle  
1753.
9. ——— Stylus Amori prophetie ex  
illius vita erutus, Halle, 1755.
10. ——— Diff. de falsa Nota pro-  
phetis, Halle 1752.
11. ——— Diff. de Muliere ambiente  
virum, ad Jerem. XXXI. Halle 1753
12. Mühlj (Henr.) de Fato duorum  
Testium ex Apocal. XI. Kiloni, 1702
13. Neumann (Joh. Georg.) Diff. de precun-  
Legis et Evangelij in Praxi asidue  
conjungendo. Wittembergæ 1701

14. Neumann / Joh. Georg. / Diff. de  
 Predestinatione et Reprobatione  
 Infantum, Wittembergae, 1709.
15. Opitij / Henr. / Diff. de Statura et  
 Etate Resurgentium, Kiloni 1707.
16. Plitt / Joh. Jac. / Diff. de  
 Poenitentia Caini, Rintely 1761
17. Pomarius / Sam. / Analysis  
 Articuli III. Augustanae Confessio-  
 nis de Christo, Witteberge, 1675.
18. Reus / Jerem. Frid. / Doctrina  
 de Officijs Christiani erga se  
 ipsum, Havniae, 1742.
19. Franck / Christoph. / Diff. de Christo,  
 Kiloni, 1677.
20. Schwartz / Gottfr. / Diff. de Homine  
 in statu integro ad Dei Imaginem  
 creato, Rintely 1761.
- 21 ——— Diff. de Deo unitrio. Rintely  
 1761.

22. Seldij / Joh. Christoph. / Diff. de  
Scriptura Sacra, Coburgi, 1664
23. Steenbuck / Joh. / Diff. exhibens. Christum  
et Christianum Negationem sui ipsius  
Charitate et humilitate monstrantem  
Hafnia 1736.
24. Stiebritz / Joh. frider. / Diff. de  
Nomine Messie ante solem filiato,  
Hale 1755.
25. ——— Diff. qua variae de Urin et  
thummin ponderantur Sententiae, Hale  
1753.
26. ——— Diff. qua locus ad Philipp.  
C. II. v: 1.2. Hale 1754.
27. Veneky / Georgij. / Diff. quod hominem  
ad veram voluptatem conditum esse  
evincitur. Primum Lavie 1743.
28. Zacharia / Gotth. Traugott. / de  
personarum humane Sapientiae,  
Hale 1753.
29. Zentker / Joh. Georg. / Diff. quadrupes.  
tita, de principiis quod et quo  
actionum servatorum, de supposito,  
de Regula, et de possibili Descripta  
ione,

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.

100



2

DISSERTATIO ANTITHETICO-THEOLOGICA  
DE  
FVNDAMENTO  
EXALTATIONIS CHRISTI  
HOMINIS MAIESTATICAE,

HAVD MERCENARIO;

---

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DN. FRIDERICO,**  
HASSIAE LANDGRAVIO, RELIQA

PRÆSIDE  
**D. WILH. CHRISTIANO IVSTO  
CHRYSANDRO,**  
S. S. THEOLOGIAE, NEC NON PHILOSOPHIAE, MATHEMATVM,  
ATQVE PHILOGIAE SACRAE PROFESSORE  
ORDINARIO,

D. 31. DEC. ANNO 1762.  
IN ACADEMIA HASSO-SHAVENBVRGICA  
H. L. Q. C.  
PVBLICE TVEBITVR  
AVCTOR  
**EBERHARDVS WILHELMVS HABICHT**  
SMALCALDIENSIS.

---

RINTELII TYPIS I. G. ENAX, A. T.

PERILLVSTRI  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO VIRO  
DOMINO  
**JACOBO SIGISMVNDO  
W A I Z**

SERENISSIMI HASSIAE LANDGRAVII, RELIQVA,  
A CONSILIIS SANCTIORIBVS ET STATUS  
ADMINISTRO,  
CAMERAE, QVAE REM MILITAREM DOMINIAQVE  
SVSTINET, DIRECTORI GRAVISSIMO,  
REI SALINARIAE ET METALLICAE SVMMO  
PRAEFECTO,

*MAECENATI SVMMO*

HOC SPECIMEN ACADEMICVM  
PVBLICVM PIETATIS MONVMENTVM

D. D. D.

HVMILLIMVS  
EBERHARDVS WILHELMVS HABICHT  
SMALCALDIENSIS.



\* \* \* \* \*

§. I.

**C**hristum, consummato opere redemptionis, secundum humanam naturam esse exaltatum, ac maiestate infinita fulgere, indubitatum est. Matth. 28, 18. Eph. 1, 20. 21. 22. Ebr. 8, 1. cap. 12, 2. Grauiissima autem quaestio est, quae mouetur de *Fundamento* huius exaltationis Christi maiestaticae; Vtrum haec, veluti merces, nitatur illo complexu actionum et perpeſſionum, quibus hominum redimendorum causa in statu humiliationis suae defunctus est? An potius alio principio radicetur? Vel Nostratum a) scripta quaedam recen-

*Occasio.*

a) E. g. In viri celeberrimi notissimo tractatu *von der Beschuhung Christi*, praeter alia huiusmodi, p. 62. 69. 71. legitur: *Christus bekam eine genugsame Belohnung seines Leidens. Der unserm Heylande nach derjenigen Natur, welche für uns gelitten, ertheilte Lohn seines Leidens war: 1) Gott hat ihm das gantze menschliche Geschlecht unterworfen. 2) Gott hat ihm alle Geschöpfe, auch so gar alle Engel und Erzengel unterworfen.* (Ipsorum angelorum igitur subiectionem sub potestate Christi, dum statuit fuisse factam, ad Christum pro redemptione *HOMINVM remunerandum*, secus facit ac Paulus, qui istam subiectionem et Christi, haeredis omnium, prae omni creatura angelica excellentiam e praestantia *personae* Christi deriuat, Hebr. 1,

3. 4. 6. vtpote qui *ομοίσιος* Patri et *χαρακτήρ* est *της ύποστάσεως αυτου* (habens expressum in imagine sua omne id, quod habet pater in sua essentia) et effector uniuersi est.

3) *Gott hat ihm so viel, als ohne einen Widerspruch möglich ist, aller Vollkommenheiten und Seeligkeiten der Gottheit auch nach seiner Menschheit theilhaftig gemacht.* Ipsam itaque communicationem perfectionum diuinarum, naturae Christi humanae factam, repetit ex obsequio Christi passiuo, quasi compensando; quam quidem non compensatoriam, sed hominum saluandorum causam instructiuam, et ad infinitam *λύτρω* et obsequii, pro nobis praestandi praestititue, *ισορροπίαν* necessariam fuisse, credimus.

A

In-

recentiora eo inclinare videmus, ut inter veritates cooptari velint hanc thesin: *Christi exaltationem* seu regiam *ἐξουχίαν* fuisse et esse effectum atque MERCEDEM ipsius obedientiae actiuae et passivae, pro hominibus praestitae; inprimis tamen passionis ac mortis, pro aliena culpa susceptae, compensationem fuisse.

## S. II.

*Momen-  
tum et ope-  
rae pre-  
mium.*

Rei dignitas et maximum causae momentum facile permouent vnumquemque Theologiae intemeratae, atque necessariae in Christologia munditiei et accurationis, studiosum, vt de ista ratione sufficiente, vnde sessio Christi ad dextram Maieftatis deriuanda fit? meditationem suscipiat. Neque nobis vertetur vitio, quod, vnice in gloriam Domini, infiniti amoris speciminibus de nobis meriti, eandem quaestionem contemplationi subiiciamus: *Num Christus humanae suae naturae euectionem, ac sessionem ad Dextram DEI, per passionibus, hominum causa toleratis, obsequioque suo meruerit?* Minime vero hoc modo meruit; et eius exaltatio haudquaquam fuit mercenaria. Talis quidem si dictitaretur,

In scripto brabeutico sic dicti Theologi Nienburgensis a. 1754. von der Erhebung Christi, cuius auctor p. 1013. declarat, se quaedam ex Collegio orali supra laudati Professoris huc transtulisse, dicitur 142. p. 992. Die Erhöhung oder Einführung in den Stand der Herrlichkeit, wird als eine Folge und Lohn des Mittler - Leydens und Gehorsams Jesu angesehen. Philipp. 2, 9. Pag. 946. S. 43: Als König hat er das Recht, Gesetze zu geben, dieselbe mit Drohungen und Verheif-

sungen zu begleiten, dieselben mit ewigen Strafen und Belohnungen zu erfüllen, das Recht zu begnadigen, Strafen zu erlassen, und Sünde zu vergeben, Gericht zu halten. Und wird noch dereinst am jüngsten Tage als Richter der Lebendigen und der Todten auf seinem ewigen Thron erscheinen. Christus hat sich diese Rechte durch die Erlösung des menschlichen Geschlechts erworben. Und Gott hat sie ihm zur Belohnung seines großen Gehorsams geschenket. Philipp. 2, 8. 9. 10.

retur, *TM* efficientiae *unionis hypostaticae* derogaretur; *TM* fanae doctrinae de *exinanitione Christi* contraueniretur, utpote quae *κένωσις* minime erat absentia excellentiarum hyperphysicarum et maiestatis diuinae, sed tantum temporaria suspensio plenariae usurpationis illius maiestatis, ab humana Christi natura iam tunc verissime possessae; *TM* *pretium amoris Christi*, per opus redemptionis humano generi demonstrati, minueretur, atque tanti haud videretur, si Christus ipsemet maximum lucrum ex opere redemptionis percepisset. Deprimeretur proinde etiam gratitudo hominum, mandata; *TM* extenuaretur *consolatio nostra*, quippe quae largior est et certior, si, quidquid Christus meruit, hominibus percipiendum cedit; Minor autem est et debiliior, si pars meriti Christi pertinet ad Christum ipsum feliciorem reddendum; et pars quaedam altera tantum ad homines.

§. III.

Tria autem per lancem saturam instituemus:

- 1) Statum quaestionis determinatius explicabimus.
- 2) Quaestionem determinatam negabimus, ita, ut negationem rationibus muniamus.
- 3) Argumenta, quae contrariae sententiae velificari videntur considerabimus.

Ordo dicendorum.

Cap. I. ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΟΝ.

exponens

Punctum quaestionis, et notiones quorundam terminorum.

§. IV.

Ne fluctuet dein commentatio, segregandae haec statim sunt a *κρίνωμένω* nostro quaedam quaestiones, connexae quidem cum eo, sed tamen minime cum eo commiscendae.

§. V.

Non quaeritur 1) Annon Christus, durante humiliatione sua, futurae corporis sui gloriae sibi conscius fuerit, eamque sibi sub-

Explanatio quaestionis gemina.

Negatiue:

non transiens.

De consci-  
entia.

Subinde repraesentauerit? Vtique eam tunc recogitauit. Indicio est, quod in statu vilitatis suae, saepius vel praedixit carnis suae gloriam, quae mortem ipsius subsequutura esset. loh. 13, 3. 31. 32. Indicio item est, quod *καρὰ ἑσθὴ* ipsi fuit *προκειμένη* proposita Hebr. 12, 2. adeo nempe, vt humana ipsius natura se solata sit repraesentatione laeti exitus perpeffionum suarum, atque complementum diuinarum PROMISSIONVM certissima cum fiducia exspectauerit. Sed ex illa in Christo conscientia atque repraesentatione laeti exitus, atque competentis sibi, et certo adeundae, *παντοκροτίας* nondum efficitur merendi propositum atque meritum. Promissio diuina aderat: non propter laborem redemptionis, sed post laborem redemptionis rediturum eum esse ad perpetuum et plenum vsum eius, quod τὸ suum erat, per vnionem hypostaticam.

§. VI.

De successi-  
one.

Neque quaestio instituitur 2) Annon status exaltationis Christi sequutus sit eius statum exinanitionis? Quis hoc diffiteretur; si de consecrario simplici et generatim dicto, aut si de consecutione ex sapientissima ordinatione diuina fermo sit? Act. 2, 36. *ὅτι κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ θεὸς ἐποίησε, τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσαύρασατε.* Sed distinguenda est consequentia ex diuina τάξει, et consequentia ex actione meritoria. Eleuatus est Iesus ad dextram potentiae, non quia, sed postquam cruci suffixus est; consecutione non causalfalutatis, sed ordinis. Luc. 24, 26. Sunt *αἱ δεξιὰ μετὰ* post *παθήματα.* 1 Petr. 1, 11. *Ἐκαθάρισμένον ποιησαμένον τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν, ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ κ. τ. λ.* Heb. 1, 3. Postquam emundationem peccatorum per sanguinem suum fecerat, consedit ad dextram maiestatis in excelsis.

§. VII.

De nexu.

Neque in quaestionem deuenit 3) Annon nexus quidam sit inter statum exaltationis et humiliationis Christi? Omnino intercedit nexus multiformis, sed nullus effectiuus. Recte b. BAVMGARTEN in *Theologia Thetica* p. 279.

Die

Die Erhöhung Christi hängt unmittelbar mit der vorhergegangenen Erniedrigung zusammen. Folglich ist die Erhöhung in der Erniedrigung gegründet, und jene um dieser willen nöthig gewesen. Neminem fugit, dari nexus varios; quibus positus autem, nondam ponitur meritorius, et causalis. Datur nexus chronologicus, procatarticus, occasionalis, remotus, exemplaris, finalis, remotior, et intermedius, propior et immediatus, significatiuus, adeo ut concludi possit ex depositione *μορφήν δέλας*, obedientia Christi actiua et passiuua plenissime Deo satisfactum esse. Ex eo, quod inter duas res fit nexus quidam, non sequitur, vnam ab altera promeritam esse. E. g. Datur nexus moralis inter lapsum Adami et redemptionem Christi, adeo vt, nisi praecessisset lapsus, redemptio Christi subsequuta non esset. Sed admodum *ἀκρως* esset, ideo perhibere velle: *Lapsus Adami meruit redemptionem Christi*. Nexus est inter paupertatem et elemosynam, pauperi praebitam. Indigentia inopis mouet hominem diuitem et munificum, ad erogandam illi elemosynam. Sed pauper ista sua egestate non meretur, striete loquendo, illam elemosynam.

§. VIII.

Neque in quaestione est 4) Num Christus dignus sit gloria ista? Annon exaltatio Christi, antea humiliati, fundamentum quoddam habeat, et justissimam rationem? Deumque deceat? Adstruimus hoc omnino. Principium habet in ipsis perfectionibus diuinis atque congruit iis, attestante ipso Messia Pf. 16, 2. 3. *Bonum meum*, h. e. felix rerum mearum status, non est contra te, h. e. non repugnat tuis, o DEVS! perfectionibus; Praesertim cum accedat singularis vsus huius status mei exaltati, *עֲשֵׂה לִּי טוֹב* siquidem tendit in bonum et salutem sanctorum, qui sunt in terris. Dignissimus est *ἵδεναι τὸ πρόσωπον τοῦ κυρίου* summo loco suo. Introiit *eis τὴν δόξαν αὐτῶν* in gloriam SVAM, ipsi competentem legitimo titulo. Luc. 24, 26. Oeconomia redemptionis, diuinitus constituta, requirit illam status Christi mutationem. Nulla aderat ratio post

De congrua  
ac decentia

exantlatum redemptionis opus continuandi exinanitionem. Grauiſſimae contra erant cauſae, maiestatem, Christo homini in incarnatione collatam, plene exferendi et usurpandi.

## §. IX.

De via

Neque disputo: Annon humiliatio Christi possit appellari *via*, per quam Christus ad plenariam gloriae usurpationem transierit. Omnino fuit constitutus ordo, seu via intermedia; haud vero causa meritoria. Sicut *παθήματα* credentium sunt via regni coelestis, non vero causa regnandi. Rom. 8, 17. *ἄπερ συμπάσχωμεν, ἵνα συνδοξασθῶμεν.* Apoc. 3, 21. *ὡς καγὼ ἐνίκησα.*

## §. X.

Positiue :  
sed de prin-  
cipio adae-  
quato glo-  
riae Christi.

Sed in eo versatur cardo quaestionis: An Christus per vicariam satisfactionem, impletionemque legis sibi exaltationem, mercedis instar, MERERIT, adeoque an causa impulsiva in DEO, vt humanae Christi naturae regiam et infinitam maiestatem daret, et an verum fundamentum consistat in praestatione obedientiae mediatoriae utriusque?

## §. XI.

Termino-  
rum expli-  
catio.

Merere.

Vbi praenotamus, vocem *mereri* h. l. stricte sumi, atque denotare: Mutationem (sive sit actio sive passio) indebitam subire, ex qua ius perfectum, ex pacto fluens, existit ad bonum aliquod, quo carebat antea agens, adipiscendum, seu ad retributionem compensatiuam et remuneratoriam. Vel si maius, MERERI est, facere citra obligationem opera, quae rationem sufficientem boni, secundum leges iustitiae alicui conferendi, continent. Pertinet itaque ad meritum, pro actu stricte sumtum, praeter alia, facile plana, nexus causalis vt mutatio ista moralis ius fundat ad aliquid, quod agentis statum perfectiorem reddit, impetrandum, sitque conditio, sine qua non.

## §. XII.

Merces.

MERCES, non *παχυλῶς*, sed stricte dicta, est ipsum bonum, quod ei, qui eo huc vsque caruit, PRO praestito labore in debito, iure perfecto debet praestari. §. II. Fit igitur

μισθός

μισθὸς κατὰ τὸ ἐφέλεμα Rom. 4,4. facitque ad *βελτίωσιν* eius, qui eam accipit. MERCENARIVM dicitur, quod indolem mercedis habet, operibus indebitis debitae retributionis, iis iusta proportione respondentis.

§. XIII.

OBEDIENTIA *mediatoria* Christi Rom. 5, 19. Pf. 40, 7. 8. 9. Ies. 50, 5. absoluitur *tvm eius passionibus*, quibus absolutio- nem a reatu aeternae damnationis peccatoribus promeruit Galat. 3, 13. *tvm legis adimplectione* Matth. 5, 17. Gal. 4, 5. h. e. perfectissima convenientia actionum Christi cum lege Dei, qua iisdem, in ordine praescripto, aditum ad salutare cum Deo coniunctionem, vitamque aeternam acquisiuit.

Obedien-  
tia Christi  
*redemptoria.*

§. XIV.

*Exinanitio* in persona Christi, quae non iuxta utramque eius naturam, sed tantum humanam mutabilem facta est, est plenarii vsus maiestatis diuinae retractio, quoad tempus.

*Εἰσκαταβίω.*

§. XV.

*Exaltatio* Christi maiestatica, pro *actu* sumta, est ipsi facta *communicatio plenarii et perpetui vsus diuinarum perfectionum infinitarum*, ac sigillatim potestatis vniuersalis. Seu ascensio in coelos Act. 1, 9. 11. quippe qua ad plenum et numquam interrumpendum dominii vniuersalis exercitium euectus est. EXALTATIO, pro *statu* accepta, est ipse ille *vsus plenarius et aeternus complexus perfectionum infinitarum*, seu MAIESTATIS diuinae; inde ab *ἐνσκαταβίω* ipsi, qua homini, communicatae, sed ob interuenientem scopum redemptorium nondum plene vsurpatae. Dicitur in Scr. S. *Sessio ad dextram*. Marc. 16, 19. Hebr. 1, 3. c. 8, 1, Pf. 110, 1. Eph. 4, 10. adeo vt Christus sit rex potentissimus in regno gratiae et gloriae perfecto exercitio.

*Exaltari.*

Cap. II.

## Caput II.

negans,

*Fundamentum exaltationis Christi contineri eius obedientia mediatoria.*

§. XV.

*Ratio sufficiens Exaltationis IESV.*

Verissimum principium exaltationis Christi maiestaticae (conferentibus quoque idem libris b) Symbolicis) est unio diuinæ eius naturæ cum humana, personaliter facta; h. e. ad constituendum vnicum *ἕν ὄν* *ἀμείνον*. (Quæ quidem unio utique summum *χάρισμα* et gratia maxima erat, generi humano concessa.) Adeoque exaltatio Christi hominis non est mercenaria, sed hæreditaria, seu consequens naturale arctissimi vinculi, quod vtramque eius naturam intercedit, vel proximæ cognationis et cuiuscumque coniunctio-

b) E. g. in Formula Concordiæ, editionis Rechenberg. p. 767. ita: *Ex hac unione et naturarum communionem humana natura habet EXALTATIONEM post resurrectionem a mortuis super omnes creaturas in coelo et terra. P. 608. Eamque maiestatem ratione VNIONIS PERSONALIS semper Christus habuit, sed in statu suæ humiliationis se exinanivit; quare maiestatem illam non semper, sed quoties ipsi visum fuit, exercuit. P. 766. Docemus iuxta fidei nostræ Christianæ analogiam, omnia ea, quæ de Christi Maiestate secundum humanam naturam, qua ad dextram omnipotentiae et virtutis Dei fedet, et*

illis, quæ ex ea consequuntur, dici solent, *LOCVM NON HABITVRA* neque stare posse, nisi hypostatica illa unio et communicatio naturarum in persona Christi realiter et vere existeret. In Apologia Germ. Form. Concord. p. 9. *Es wird angezeigt, daß die menschliche Natur von wegen der persönlichen Vereinigung, zum Besitz, Brauch, und Uebung solcher göttlichen Majestät und Eigenschaften erhoben, und kommen sey. In Articulis visitator. Saxon. ibid. p. 844. Ad summam Maiestatem naturæ illa humana in et PER VNIONEM HYPOSTATICAM vere et re ipsa euecta est.*



tionis vinculum superans. Hebr. 1, 3. τὸ καθίσαι ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς seu exaltatio et summorum quorumuis *quieta, stabilis, maiestatica*, et *continua* administratio, deriuatur ex eo, quod is, quem Deus secundum humanam naturam κληρονόμον ἔθηκε, et qui proinde per haereditatem accepit gloriam, sit ἂν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, h. e. DEVS, manifestatus in carne 1 Tim. 3, 16. Eadem maiestas, cuius specimina quaedam iam antea in diebus carnis edidit, erat δόξα NB. ὡς tanquam μονογενῆς παρὰ πατρός Ioh. 1, 14. h. e. non aliunde deriuanda, quam ex eo, quod esset FILIVS v-nigenitus a PATRE.

§. XVI.

Abstinentum esse existimamus a phrasi illa: quod exaltatio Christi maiestatica sit merces vel etiam praemium obedientiae eius mediatoriae; atque negamus, quod Christus Dominus sessionem ad dextram Dei sibi per vicariam illam obedientiam promeruerit. Atque sic argumentamur: Quum verum sit, quod Christus verus fuerit DEVS, deitate humanitati personaliter vnita; Quod perfectissimum ius plenarii usus vniuersarum maiestaticarum Praerogatiuarum iam habuit, antequam in cruce pro nobis moreretur; Quod quidquid meritum est per eius passionem, ad solos HOMINES pertinet; Quod ne potuerit quidem sibi merere quidquam ullis actionibus passionibusue: sequitur, Christum sibi aliquid maiestatis, tanquam possidentiae, et consequenter vsurpandae, haud promeruisse: Persequamur haec figillatim.

§. XVII.

Si Christus VI VNIONIS PERSONALIS, adeoque per NATVRAM suam habuit in vniuersum OMNIA C). non potuit sibi quidquam

B

quam

Exaltatio Christi ne habeatur pro merce-  
naria;  
Id poscunt  
1) Persona  
Secundum  
2) profes-  
siones  
eius ante  
mortem, 3)  
scopus officii  
4) impossi-  
bilitas sibi  
aliquid me-  
rendi.

Arg. I. quia exaltatio Christi est consequens conditionis personae.

\*) Non dico quaedam, nec PLV- RIMA, vt vir celeb. p. 72: Diejenige

quam praeterea merere per ulla OPERA. Atqui verum est prius, ergo et posterius.

## §. XVIII.

Probat  
consequens.

Consequentia nititur PARTIM notione meriti seu merendi (§. 11. 12.) quippe quod carentiam supponit, adeo, vt, vbi deest carentia boni, ibi locum quoque non habeat aliquod meritum; PARTIM notione possessionis omnium. Nam quod quis iam habet, id merendo acquirere non potest; et qui omnia praestantissima iam possidet, illi nihil horum restat, nec opus est, vt labore efficiatur. Perfectissimo quidquam perfectionis addi nequit. PARTIM oppositione naturalium et acquisitorum. Quidquid enim est sequela naturae, non est sequela operis et meriti operarii seu mercenarii.

## §. XIX.

Probat  
antecedentis,  
pars I.

Veritas Antecedentis autem declaranda erit. Illud duplex est: 1) In Christo, tanquam Θεανθρωπώω, fuisse unionem et communionem personalem deitatis et humanitatis. 2) Per illam unionem eum uniuersa, quae summa sunt, iam obtinuisse. Primum momentum in liquido est, ex effato Joh. 1, 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο i. e. diuina natura facta est ἐπιτομίασιν carnis assumptae seu integrae naturae humanae; adeo

Herrlichkeit, welche Gott dem Messia als einen Lohn seines Leydens gegeben hat, ist so beschaffen, daß der größte Theil derselben, auch ohne Uebernehmung dieser bitteren Bedingung, ihm wegen Vereinigung seiner menschlichen mit der göttlichen Natur hätte können zu Theil werden. Sie ist demnach zwar ein Lohn seiner Uebernehmung fremder Strafen, aber ein Lohn der nicht verursacht, daß in Hoffnung desselben übernommene Strafen, für kein wahres Uebel kön-

ten gehalten werden. Sed dico consulto, OMNIA, quae non solum, potuissent ei communicari, sed re vera communicata sunt, mercedem non speranti et ambient, neque ullius mercedis indigo neque capaci. Postquam enim in ἐσαρκώσει Christus homo personaliter et indissolubiliter vnitus fuit cum Deitate: Beatissimus manebat, summo gradu; εὐκ ἐκ μέτρως pollebat diuinis ἀρχήμασι. Joh. 3, 34.

adeo vt natura illa, quae σάρξ vocatur, participet de persona diuina Christi, atque ambae naturae habeant communem indiuisam subsistentiam, seu vinculo personali copulatissimae sint. Vox σάρξ consulto electa est, ad connotandum, quod, simul atque caro existeret, adeoque iam in utero Mariae, λόγον se humanae naturae tam arcte coniunxisse, vt haec suum τὸ εἶναι non nisi in persona τῆς λόγου haberet, Vox ἐγένετο indicat vnitionem personalem, vt λόγος manens, quod ante erat, fieret σύνθετος. conf. Jerem. 23, 6. Matth. 16, 13. 16. C. 3, 17. Marc. 14, 61. 62.

§. XX.

Momentum secundum euincitur 1) per enunciations BILICAS triplicis generis, e Dogmaticis notas. 2) E natura et affectione omnium personaliter correlatorum. Communicato subiecto personaliter, communicatur κατ' ἐνάσωιν etiam proprium eius. Nulla vnio personalis stare potest sine communicatione. Posita igitur vnione personali (§. 19.) ponitur communicatio naturarum. E naturarum autem communicatione resultat communicatio proprietatum diuinarum; utpote quae naturae diuinae ἀχαρίτως connexae sunt, et a persona τῆς λόγου realiter non differunt. Sublata contra communicatione proprietatum diuinarum, tolleretur consociatio personalis, adeoque personarum dualitas Nestoriana introduceretur. Sicut igitur λόγος omnia assumptae carnis propria sibi appropriat, seu actiue communicat, ita ipsa caro, postquam λόγος particeps facta est, etiam idiomatum diuinorum et virtutis infinitae omnisque diuinae maiestatis πασιue κοινωνῆς facta est, ad communem κτήσωιν et χρησωιν. Ideoque non erat, vt maiestas per quasdam actiones et passionis subsequentes deum a Christo mereretur.

Pars 2.

§. XXI.

Si Christus iam inde a primo conceptionis momento et iam ANTE mortem suam atque consummationem vtriusque

Argum. II.  
quia possedit gloriam iam ante supplicium mortis.

B 2

obe-

obedientiae mediatoariae habuit *perfectum non solum ius, sed etiam possessionem absolutissimam summae maiestatis atque omnis gloriae*, vna cum iure perfectissimo plenarii vsus eiusdem: sequitur, quod non demum per passionem mortis, tanquam colophonis obedientiae mediatoariae, *eandem maiestatem et gloriam sibi meruerit*. Atqui verum est prius, ergo et posterius.

## §. XXII.

Probatur  
consequen-  
tia maioris.

Ex hypothese dissentientium hoc argumentum fringit. Connexio eius plana est e definitione *mercedis*, quae consequens est peracti laboris (§. 12.). Illam autem mercedem praenumeratam Christo esse, ii ipsi pro falso habent, quibuscum nobis res est; Asserentes, quod exaltatio fuerit aduentitia, merces Christi, *POST MORTEM* ipsi tradita.

## §. XXIII.

Probatur  
minor.

Veritas *subsumti*, (quod defendit etiam Form. Concord. p. 612.) stabilietur consideratione oraculorum sequentium, quae partim *κατὰ ρητὸν* partim *κατ' ἀκολούθησιν* id demonstrant. Matth. 11, 27. *πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τῆ πατρὸς*. Joh. 16, 15. *πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατήρ, ἐμὸ ἐστίν*. Adde Joh. 17, 10. C. 5, 26. 27. coll. 22. *ὁ πατήρ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ υἱῷ*, et etiam *ἐξουσίαν* beandi Joh. 17, 2. Marc. 2, 28. concinente loco Matth. 12, 8. *κύριος ἐστίν ὁ υἱὸς τῆ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου*. Filius hominis seu Christus, tanquam homo consideratus, non est debitor legis, sed est Dominus totius legis; adeoque etiam tertii praecepti *de Sabbatho*. Etiam reliquorum praeceptorum idcirco, quia homogenea sunt, scilicet *diuina*. H. e. secundum humanam naturam personaliter exlex est. Luc. 2, 11. *ἐτέθη ὑμῖν σήμερον σωτήρ, ὅς ἐστι Χριστὸς, Κύριος*. Hic iam sub initium vitae curriculi Christus a teste, diuinitus misso, declaratur modo natus Seruator, Dominus, *Jehovah*, persona maiestatica augustissimae gloriae, virtutibus summis dotata. Matth. 3, 17. Gal. 4, 4. Luc. 1, 35. *διὸ καὶ τὸ γενώμενον* (eo ipso momento, quo mittebatur in carnem) *ἅγιον κληθήσεται* manifesto erit *υἱὸς Θεοῦ*. Philipp.

Phil. 2,6. Ἐν μορφῇ Θεῶ ἐν statu manifesto Dei erat, durante ipso statu humiliationis, adeo vt, si voluisset se tamquam Deum gloriosum in carne exhibere, et propulsare iniurias Iudaicae malitiae potuisset. Act. 20, 28. ΘΕΟΣ τὴν ἐκκλησίαν περιποιήσατο διὰ τῆ ἰδιῆ ἁμαρτίας, quod dici haud posset, si Deitatem et maiestatem deposuisset. Miracula etiam Christi fuere indicia maiestatis, Christo *propriae* d). Haec effata, et plura alia, si expenduntur, eidentissime demonstrant, quod Christus, *Dominus gloriae* (ceu vocatur 1 Cor. 2,9.) iam tunc, antequam crucifigeretur, diuinae maiestatis secundum humanam naturam particeps fuerit.

§. XXIV.

Si, quidquid Christus agendo et patiendo promeruit, ad HOMINES duntaxat pertinet redimendos beandosque; sequitur, quod Christus per illam obedientiam suam mediatoriam sibi ipsi statum exaltationis haud meruerit. Atqui verum est prius, omnes effectus officii mediatorii Christi ad solum genus humanum pertinere; Ergo et posterius, quod Christi gloria et beatitudo caelestis non sit effectus passionum eius et merces

Arg. III.  
quia subie-  
ctum, cui  
meritum  
Christi des-  
tinatur, est  
genus hu-  
manum.

IPSIVS.

§. XXV.

Veritatem Antecedentis declarant A) loca reuelantia,  
B 3 cau-

d) In supra citato scripto *Nienburgensi* quidem significatur: Quod miracula Christi non ex PROPRIA diuina virtute; sed ex communicatis donis propheticis thaumaturgicis profluxerint, hac tantum differentia inter prophetas alios et magnum prophetam existente, vt hic maiori mensura donorum alienae virtutis instructus, poterit *semper* miracula patrare. Sed admodum errat scriptor. Christus non instrumentum, vt prophetae

et apostoli, sed auctor miraculorum suorum fuit. Ea sunt radia non tantum missionis propheticae sed radia DIVINITATIS, Christum inhabitantis. Erat δόξα NB. ὡς μονογενὲς παρὰ πατρός. p. 9. Ioh. 2, 11. ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων καὶ ἐφάπερσε τὴν δόξαν αὐτῆ manifestauit gloriam SVAM, sibi propriam Ioh. 5, 21. vivificando ita, vt pater, i. e. ex propria virtute. Absit vt argumto Deitatis Christi a miraculis desumpto Theol. Dogmatica dicat vale.

Antecedens verum est.

causam impulsivam, quae Christum ad suscipiendum opus mediatorium movit, fuisse AMOREM erga homines et misericordiam. E. g. Eph. 5, 2. περιπατεῖτε ἐν ἀγάπῃ, καθὼς ὁ Χριστὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς, καὶ παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ. Christus AMAVIT nos et tradidit seipsum etc. Apoc. 1, 5. Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἀγαπήσας ἡμᾶς, καὶ λύσας ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. AMAVIT nos et lauit nos a peccatis nostris per sanguinem suum. Gal. 2, 20. Eph. 5, 25. Ioh. 15, 13.

B) Loca perhibentia, Christum LOCO hominum, et in gratiam et commodum eorum, officium mediatorium suscepisse et peregisse. e. g. Rom. 5, 8. Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε Christus pro nobis mortuus est, in hominum gratiam.

C) Loca, ubi Christus cum SACRIFICIO piaculari comparatur, id quod nullam ex morte sua sibi referebat utilitatem, sed totum in usum hominum cedebat. 2 Cor. 5, 21. τὸν μὴ γένετα ἀμαρτίαν ὑπὲρ ἡμῶν ἀμαρτίαν ἐποίησε. Illum, qui haud nouerat peccatum, pro nobis VICTIMAM PIACVLAREM fecit. Rom. 8, 3. ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ πεμψας—περὶ ἀμαρτίας (ellipsis solemnis est Ἰῦμα). Misit Deus filium suum — tanquam SACRIFICIUM PIACVLARE.

D) Loca testificantia, quod SCOPVS omnium eorum, quae Christus fecit passusque est in diebus carnis, seu ADVENTVS eius in mundum, fuerit determinate HOMINVM SALVS. Luc. 19, 10. C. 9, 56. Ioh. 12, 46. 1 Tim. 1, 15. 1 Ioh. 3, 8. Matth. 18, 11. ἦλθε ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σωσαὶ τὸ ἀπολωλός. Venit, ad peragendam obedientiam mediatoriam, filius hominis, eo fine, ut seruaret ac saluaret, quod, nempe genus uniuersum humanum, in Protoplastis lapsis perierat. Ies. 9, 5. הָיָה לָנוּ כִּי לָנוּ בְּנוֹתָנוּ פְּרֹפֶטוֹ פְּרֹפֶטוֹ Profecto puer natus est nobis filius datus est nobis Zach. 9, 9. Laetare valde, o filia Zionis, exsulta o filia Hierosolymorum: Ecce rex tuus venit tibi i. e. in commodum tuum. coll. Matth. 21, 5. Adde loca de SCOPOMISSIONIS Christi, eodem tendente: Ioh. 3, 17. 1 Ioh. 4, 10. Huc pertinet

net ipsum nomen *JESU*, quod angelus Matth. 1, 21. sic est interpretatus: *αὐτός γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτὸ ἀπὸ τῶν ἀμαρτιῶν αὐτῶν*. Huc pertinet appellatio: *Saluator* 1 Tim. 4, 10. *Mediator* 1 Tim. 2, 6. et in abstracto *Expiator*: 1 Ioh. 2, 2. C. 4, 10. *Pacificator* Eph. 2, 14.

E) Loca speciatim de *Partibus officii mediatorii* eundem scopvm reuelantia, quod nempe in hominum utilitatem factae sint. Nimirum:

AA) *ταπεινωσις* *submitto* seu *exilitas*, seu susceptio *tvM* vilis conditionis, qua non magnatibus sed *seruo* et abiectissimis hominum similis erat, *tvM* incommodorum *paupertatis*, *tvM* infirmitatum humanae naturae. e. g. 2 Cor. 8, 9. *Agnoscite gratiam Domini nostri Iesu Christi*, quod *PROPTER* nos *pauper factus est*, *dives existens*, *ἵνα ὑμεῖς τῇ ἐκείνῃ πτωχεία ᾤσθησθε* ut vos illius paupertate *diuites euadatis* (non dicit, ut occasionem captaret, augustos honores et exaltationem sibi merendi.)

BB) *Actiua* Christi obedientia, quae in hominum tetendit utilitatem. Gal. 4, 4. Rom. 5, 19.

CC) Item *Passiua* obedientia Rom. 4, 25. c. 8, 32. 1 Petr. 2, 23.

F) Loca edifferentia, quod *FRUCTVS* *peractae* obedientiae Christi mediatoriae ad *HOMINES* pertineat. Rom. 5, 7. 10. *Iustificati sumus sanguine eius κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τὸ θανάτου τῆς υἱοῦ αὐτοῦ*. *Reconciliati sumus Deo per mortem filii sui*. 2 Cor. 5, 18. Eph. 2, 18. Rom. 3, 24. 1 Cor. 1, 30.

§. XXVI.

Noli benevole lector! his lectis, opponere. *Vnius posteo non est alterius exclusio*: (Quod quidem *ἡ ἀποκλειστικὴ* non *uniuersaliter* cum *veritate esse consentaneum*, ex *Logicis* est in apriico.) Haec enim oracula, quae tam diserte et grauter nobis inculcant, hominum gratia Christum sustinuisse et egisse, quae sustinuit et peregit, *exhauriunt scopum* passionis Christi, seu *exclusiue* intelligenda sunt, adeo ut non simul sui ipsius exaltandi gratia hominum *Sospitator* fuisse censendus sit. Patet id

*Consequen-  
tia firma-  
tur.*

*Exclusivus  
scopus ille  
§. 24. 25.  
intelligendus  
est.*

1) e *persona*, quae nos redemit, utpote quae in summitate maiestatis iam constituta (§. 17. 23.) nullius accessionis felicitatis suae indigebat. *Talia enim sunt praedicata, quae a natura subiectorum determinantur.* Cum igitur *Subiectum* agens esset perfectissimum, Immanuel, cui, quae iam aliunde habebat, per modum mercenarii laboris, non primum quaerenda erant, *Praedicatum*, quod nempe *hominibus felicitatem per ista meruerit*, EXCLUSIVELY intelligendum est. Elucescit idem

2) e *silentio scripturae s. quae nusquam neque IMMEDIATE neque MEDIATE asserit, quod Christus sibimet ipsi per hominum redemptionem exaltationem lucrifecerit.* Quidquid autem codex s. neque *κατά πρῶτον* et explicite, neque *κατά διάνοιαν* implicite, virtualiter, et consequentialiter docet, illud pro veritate fidei Christianae theologica non est habendum. Exclusivus accipienda esse illa loca, quibus Christus tanquam saluator *hominum* proponitur, adeo ut non simul sui Salvatorem egerit, declarant

3) Loca testantia, *Christum haud servuisse privatae utilitati, propriisque commodis.* e. g. Philipp. 2. 4. 5. *Μη δὲ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστος σκοπεῖτε, ἀλλὰ καὶ τῶν ἑτέρων ἕκαστος.* τούτο γὰρ φρονέτω ἐν ὑμῖν ὁ καὶ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. Ne sua quisque spectetis, nolite vestris commodis servire; seyð nicht eigennützig. sed unusquisque etiam aliorum commoda spectet. Hic enim affectus fit in vobis, QUI ETIAM IN CHRISTO IESU ERIT quippe qui non sua emolumenta spectavit v. 5-8. Docet igitur Paulus vi connexionis v. 4. Christus τὰ ἑαυτῶ μὴ σκώψασαι conf. Matth. 20. 28. Ioh. 5. 41. C. 7. 18. Rom. 15. 3. Clarefcit eadem exclusiva restrictio

4) e testimonio Pauli Gal. 2. 21. *εἰ γὰρ διὰ νόμου δικαιοσύνη, ἄρα Χριστὸς δωρεὰν ἀπέθανεν.* Si per legem eiusque praxis iustitia esset, et ab hominibus parari posset, seu, si Christus non HOMINUM causa, nempe ad merendam hominibus iustitiam, mortem obiisset: *Christus FRVSTRA mortuus esset*



esser. Hinc evidentissimum est, quod acquisitio iustitiae pro hominibus, fuerit completus et vnicus scopus mortis Christi. Alias, si Christo simul scopus fuisset, sibi exaltationem per mortis supplicium merendi, dici non posset, quod frustra et sine ratione ac scopo mortuus esset, siquidem reuera exaltatus est (§. 1.) adeoque vnum finem obtinisset.

§. XXVII.

Qui negant, Christum hominem vi vnionis hypostatice diuinae naturae cum humana exaltatum et in vsu absolutissimo attributorum diuinorum esse, sed, exclusa illa sufficientissima causa, plenitudine nempe Deitatis, statuunt, Christum per PASSIONES, pro hominibus subitas, illum statum exaltationis sibi promeruisse, quale subiectum merens fingunt? Considerant Christum patientem *διηρημένως*, tamquam nudum hominem e), et passiones eius pro passionibus meri hominis abstractiue reputant.

*Sentio Dissentientium prae-mittitur.*

§. XXVIII.

At vero: Si nulla datur homologa proportio inter mortem, *passiones, actionesue FINITAS ψιλὸς αὐθράως*, pro aliis oppetitas, et inter exaltationem INFINITAM et maiestatem diuinam, sequitur, quod illa exaltatio maiestatica infinita Christo homini secundum leges IUSTITIAE tribui nequiverit, adeoque tamquam MERCES muneris mediatorii, bene obiti, ab eo mereri haud poterit.

*Argumentum quartum.*

C

e) Hoc portendit etiam thesis supra notati excellentissimi Professoris Göttingensis, contra quam plurima, si nunc vacaret, monenda essent, libr. c. p. 70: Honorem, quod homines in Christum CREDERE teneantur, das ist, ihn für den einzigen Grund ihres ewigen Heyls und Wohlfahrt annehmen, esse ein Hauptstück des Lohns für sein

Leiden. Quasi vero fides ad *Βελτίωσιν* Christi aliquid faceret! et persona Christi soluenda esset! Secundam Deitatis personam homines, etiam in statu innocentiae si perstitissent et non redemi essent, agnouissent tamquam Creatorem et fundamentum aeternae salutis suae. *Confidere* Christo est beneficium pro mortalibus, non Christo.

erit. Atqui verum est prius, ergo et posterius, Christum, in relatione mercedis, exaltationem accipere haud potuiff. Quum vero reuera in ea triumphet (§. 1.) ex alio quodam fundamento (§. 17.) eam acceperit, necesse est. Consequentiam in tuto ponit definitio *mercedis* (§. 12.), quae debetur iure perfecto, secundum leges iustitiae, adeoque est bonum proportionatum labori praestito. *Mercēs* exquisite dicta, et meritum presse sumtum, sunt ex natura aequalium. Quando sermo est de mercede, a Deo tributa, stricte dicta, habetur respectus ad iustam aequipollentiam, in quanto mercedis et in quanto meriti. Quod vero *πρωτεύσεως*, adoratio, et vniuersorum attributorum diuinarum illimitatum exercitium maius sit, quam vt cadat in nudi hominis mortem temporalem, facile aestimata est.

### Caput III.

*Occurrens antithesibus, quae contrariae sententiae velificari videntur.*

#### §. XXIX.

Πρώτον  
ψευδος.

Non solum illud quorundam ingenium, non facile quidquam sine respectu ad mercedem vel ad praemium suscipiendi et pro aliis exsequendi, sed etiam *δυσερμηνεία* quorundam locorum biblicorum ansam, originem et incubula dedisse videtur isti propositioni, quam impugno: *Quod exaltatio Christi maiestatica sit MERCES, Christo pro molestiis et laboribus mediatoris reddita.* Lustremus igitur, quae obuertant opinionis Patroni.

#### §. XXX.

Obiectio  
Prima: desumta ex disertissimo effato Paulino.

Hebr. 2, 9.

Hebr. 2, 9. Paulus expresse dicit, quod Christus PROPTER passionem mortis coronatus sit gloria. En! verba: τὸν δὲ βραχὺ τι παρ' ἀγγέλων ἠλαττωμένον βλέπομεν ἰησοῦν, διὰ τὸ πάθημα τῆ θανάτου, δόξην καὶ τιμὴν ἐξεφαλαμένον ὡς ἄνω χεῖρτι Θεοῦ ὑπὲρ πάντων γεύσεται θανάτου. Resp. Nego totum argumentum. Nititur id enim vitiosa synchysi et minime com-

competente transpositione incisi. Qua sublata, ut iubet analogia Fidei et Parallelismus, cessabit scrupulus. Perperam comma positum est post vocem Ἰησὺν. Delendum id ibi, et restituendum eo loci, quod pertinet, nempe post vocem τῷ θανάτῳ. Nimirum appositio declaratiua διὰ πάθημα τῷ θανάτῳ non cohaeret cum verbo ἐξεφαναμένον. Sed referenda est ad antecedentem vocem ἡλαττωμένον, hoc sensu: *Christus inferior factus est angelis, diu, ad, circa, quoad et propter perpeffionem mortis subeundam. Quem vero per breue aliquod (διάστημα) temporis interuallum infra angelos deminutum videmus, nempe circa et propter acerbam perpeffionem mortis, eum gloria et honore coronatum cernimus.* Haudquaquam igitur dicit Paulus, τὸ πάθημα τῷ θανάτῳ Christi esse causam coronationis eius, seu medium adipiscendi exaltationem, sed dicit, illud esse 1) scopum, Ob quem opus fuerit, ut Christus, etiam secundum humanam naturam sublimis, deminueretur infra angelos. Atque sic monet, rationem inferioritatis eius minime quaerendam esse in viliori quadam conditione, sed eam residere in scopo illo, quia mors ad redemptionem requirebatur. Dicit item 2) perpeffionem mortis esse CRITERIVM deminutionis; seu causam, cur dicendum sit: Christus fuit aliquantisper inferior angelis. Inferioritatem enim eius sub angelis conspici in eo, quod mortem passus sit.

Responfo.

§. XXXI.

Philip. 2,9. Paulus, postquam v. 8. scripserat, Christum sese humiliavisse et obedientem factum esse usque ad mortem, illico v. 9. subiungit: Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερέψωσε, καὶ ἐχαρίσαστο αὐτῷ ὄνομα ὑπὲρ πάντων ὀνομάτων. QUAPROPTER etiam Deus eum superexaltavit. etc.

Obiectio  
2da: Phil.  
2,9.

§. XXXII.

Nos vero ex Hermeneuticis, praefructa, sumimus duo:  
1) Enunciationes Scr. S. significare, quidquid per phrasin, ex usu

Lemmata  
Hermeneutica.

biblico *f*) maxime aestimandam, *per nexum, per scopum, per parallelismum* realem planissimum, significare debent. 2) Paulo solemne esse, in connectentibus particulis respicere ad antecedentia paullo remotiora. Luculentum exemplum habes Ebr. 3, 7. ubi particulam *διὸ* non coniungendam esse cum versu proxime praecedente sexto, sed cum remotius v. 1. antecedente *κατανοήσατε*, indubium est. Perinde Rom. 13, 5. *διὸ* sese refert ad v. 1. Qui de stilo Paulino, de parentesi S. egerunt, qui Hermeneuticas concinnauere, qui accuratius in epistolas Pauli commentati sunt, magnam exemplorum copiam congegesserunt. His praeuiis, concedimus *διὸ* h. l. notare *quapropter*, retento famosiori significato biblico. Sed eadem haec particula, *διὸ καὶ* ideo etiam, nobis si quid cernere licet, non respicit ad vltima verba versus praecedentis 8. et obedientiam Christi mediatoriam, sed ad thesin v. 4. Scilicet, quia erant quidam ita animati, vt, quae secundum regulas iustitiae, aequitatis, amoris et misericordiae vindicare sibi haud poterant, aucuparentur et arriperent, Paraenesis Pauli vltima haec erat: *μὴ τὰ εὐτῶν ἕκαστος σκοπῶντε* ne *quilibet sua spectet*; Nemo suam volupta-

*f*) Quare missam facimus, pace doctiss. Exegetarum, vulgarem responsonem, vbi, optimo quidem consilio, ex homonymia particulae *διὸ* illud (S. 31.) dubium dispungere satagunt, atque dictitare solent: Vfus ambigui esse particulam *διὸ*, quae ex *διὰ* et *ὁ* composita sit, atque *propter quod* et *post quod* notet. Esse eam non solum particulam *ἀντιλογικὴν* et *causalem*, effectus ex antecedente indicem, sed esse etiam *ἐκβατικὴν* *consequentialem*, quae ordinem et

consecutionem post aliud importet. Verti igitur illum locum Phil. 2, 9. posse: *ὅτι* FACTO, seu *post quod etiam Deus cum superexaltauit*. Sed vsum biblicum particulae *διὸ* contemplatus, non possum non confiteri, singulis locis, quos Nostrates vulgo citant Act. 10, 29. c. 13, 35. c. 20, 26. Ebr. 3, 7. 2 Petr. 1, 10. Matth. 27, 8. Luc. 1, 35. *διὸ* commodissime per *Quare* verti posse, et semper in N. T. significare *quapropter*, itaque; siue casualiter, *darum*, siue illatiue, *folglich*.

luptatem et utilitatem faciat vnicum motiuum agendi in vita sociali. conf. Phil. 2, 21. et. 1 Cor. 10, 24. 2 Cor. 12, 4; Sed accommodate vos aliorum vsui et indigentiae, adeoque, quae aliis sunt conducibilia et non noxia, considerate. Eam roboraturus erat binis grauissimis exemplis, concludendo a maiori ad minus. Eiusmodi enim affectus, inquit, erat 1) *in Christo* v. 5-8. qui aliorum causa molestias summas suscepit, et ne vllum quidem commodum sibi quaesuit, adeoque ad imitandum se, quantum fieri potest, nos obstrinxit. Eiusmodi affectus erat 2) *in Deo Vnitriuo*, qui Christo homini plenum, perpetuum et evidentissimum vsuum maiestatis, quam sibi non meruerat, sed ex gratia vnionis et *μορφῆς Θεῆ* habebat, seu summitatem *ὕπερβουλοσ* tum *collatiue* in *incarnatione* assignauit, tum *declaratiue* (vt Rom. 14, 9. *ἀνέτης* declarauit.) Plenius, eius fastigium dein manifestauit, ad supremam sublimitatem *χρησεως* Christum hominem perduxit, et dedit ei nomen seu honorem celebritatemque supra omnem honorem, non nisi in commodum humani generis. Et sic Deus ostendit, se hominum emolumenta prae-habuisse aliis rationibus, atque non sua vnice spectasse, dum crucifixum hominum praedem intromisit in vniuersalem maiestatis infinitae vsurpationem. Coniunctio *καὶ* non in-super habenda est, in *διὸ καὶ*. Docet enim, Paulum praeter exemplum Christi v. 6-8. iam aliud exemplum addere velle. Et *διὸ* idem est, ac si dixisset: *ταῦτο γάρ ἐν Θεῷ*, sum-to *ὑπερβουλοσ*, prouti dixerat v. 5. *ὁ καὶ ἐν Χριστῷ ἠγάπησεν*.

S. XXXIV.

Quod voculae *διὸ καὶ* referri haud possint ad obedientiam Christi mediatoriam v. 8, probamus

1) *e scopo Pauli*, cui ipse contrariaretur, si retulisset eas ad illam obedientiam. Haud vero aequitatis est, statueri, virum prudentem, nedum *θεόπνευστον*, suo ipsius scopo aduersari. Hortari volebat Philipenses, *ne sectarentur* *ἑα*. Ne ex sua voluptate emolumentisque omnia metirentur,

*Pensulatio  
tior proba-  
tio responsionis.*

tur, sed, quae aliis sunt ad bonum et aedificationem, instituerent Rom. 15, 12. 1 Cor. 8, 1. c. 14, 3. At vero quomodo quadrasset hoc exemplum ad institutum apostoli adstruendum, si Christus suam gloriam et vtilitatem quaesivisset? Abscessisset a scopo suo, si in animum sibi induxisset, docere, Christum sibi metipso passione et morte sua statum exaltationis merere studuisse et meruisse.

2) *E consequentibus.* E voce ἐχαρίσατο, quam vertimus: Et ex eadem gratia, qua diuina natura cum humana coniuncta est, dedit ei nomen etc. Illâ nos remittit ad gratiam vnionis hypostaticae, quasi diceret: a) Vnio hypostatica est summa salus pro genere humano Col. 1, 19. e sola εὐδοκία deriuanda. b) Concessio confectariorum vnionis ipsius etiam est gratia summa pro genere humano Ioh. 17, 5. Si vero est ex gratia, non est ex merito. Rom. 11, 6.

3) *Ex antecedentibus.* E praemissa assertionem v. 6. Christum ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπαρχόντα h. e. in fulgore Dei fuisse, reuera Deum, in apparatu characterum Dei. Contradictorium ergo, διὸ referri debere ad ὑπακοήν Mediatoris, seu per obedientiam eum meruisse sublimitatem, quam iam habebat ante. Ergo ipsum hoc dictum, a Viro excellentissimo praecipue in suas partes vocatum, ei nil prodest.

## §. XXXV.

Obiectio  
3ta.

Obiicitur Apoc. 5, 9: Dignus es, sumere librum: quia maētatus es seu sacrificatus. *Resp.* Hoc argumentum est imbelles, quia est effectum beatorum, et nihil hinc efficitur, nisi quod beati homines libentissime Christum vna cum angelis adorent, atque c. 5, 12. quod ipsi cum etiam qua hominem, in vnione hypostatica constitutum, dignum habeant adoratione. Quod concessimus §. 8. Non dicit DEVS, Christum per passiuam maētationem accepisse dignitatem.

## §. XXXVI.

Obiectio  
4ta.

Nobis ob stare videtur Ies. 53, 11. Sed regerimus: Particula τοῦ tum dissentientium destruit argumentum, quae hoc loco vertenda est ex a. post. vid. Notae Bibliis Ebr. Halensibus adiunctae. Quare ex hoc Codicis S. effato, merces, pro peracta Obedientia ytraque Christo tradita, exculpi nequit.


FINIS.

01 A 6542

ULB Halle  
003 090 40X  
ULB Sachsen-Anhalt  
Abgeschrieben  
Datum: 2008

Vb17 H183







DISSERTATIO ANTITHETICO-THEOLOGICA  
DE  
FVNDAMENTO  
EXALTATIONIS CHRISTI  
HOMINIS MAIESTATICAE,

HAVD MERCENARIO;

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DN. FRIDERICO,**  
HASSIAE LANDGRAVIO, RELIQUA

PRAESIDE  
**D. WILH. CHRISTIANO IVSTO  
CHRYSANDRO,**  
S. S. THEOLOGIAE, NEC NON PHILOSOPHIAE, MATHEMATVM,  
ATQVE PHILOLOGIAE SACRAE PROFESSORE  
ORDINARIO,

D. 31. DEC. ANNO 1762.  
IN ACADEMIA HASSO-SCHAUVENBURGICA  
H. L. Q. C.

PVBlice TVEBITVR  
AVCTOR  
**EBERHARDVS WILHELMVS HABICHT**  
SMALCALDIENSIS.

RINTELII TYPIS I. G. ENAX, A. T.

